Fragmentarium

Vita sancti Waldeberti abbatis

sanctorum gesta plenius nosse desiderat. actus
ipsorum qui[...] uoluminibus propriis aber
ordine rerum gestarum latius conti
nentur diligenti inquirat. ubi perfa
cile inuenire poterit. quantis et quibus
uirtutum utero insignibus clarescat.
Suscipiat ergo uestra sancta paternitas hoc
nostre deuotionis opusculum. quę et si
inperitos nos facundię lepore considerat.
tamen dedisse nos operam cognoscat.
ne ad glorificandam diuinorum operum
magnificentiam ignauia nostra torpes
cat. Ita namque prosequimur: ut si uel
rectius uel facetius ad explenda hęc
scriptorum quilibet emerserit. si quis exhi
seu laudis seu mortalis honoris nob
fructus prouenire possit. libenter hoc p
ferremus carere nos priuilegio acce
dere loco. si ille potior ut facundi
or subrogetur. Tantum pro noscende
materię uiam ostendisse sufficiat. nec
nobis merces laboris ut speramus a domino
frustrabitur si uotis facultas defuerit.
cum pronum extiterit nostre deuotionis
affectus. Explicit prologus.

IGITUR POSTQUAM beatis
simus pater COLUMBANUS. ut li
ber historię de uita et uirtutibus eius
scriptus indicat. sub rege francorum
Sigiberto patrię suę hibernię finibus
exul. burgundiam aggressus locum
sibi specialiter delegerat. cui ab anti
quitate nomen erat Luxouium. tantam a do
mino gratiam consecutus est. ut signis
et prodigiis pollentibus. sexcentorum fer
me monachorum ibidem in breui multi
tudine. dispositis sibi per loca contugua.
ut usque hodie cernitur agminibus aggre
garet. Quibus in omni sanctitate. sapientia.
doctrina. et religione optime institu
ta ut longe lateque per urbes ac mona
steria ex beati patris columbani disci
pulis pastores eligerentur prefecto
res. expulsus instigante diabolo ab
impiissima brunihilda regina egressus
a luxouio italiam petiit. Bobiense mag
nifice monasterium condidit. in quo tan
dem multis miraculorum signis clarus
beato fine quieuit. Cui ad re[...]
luxouiensium monachorum con[...]
tionem beatus pater eustasius pu[...]
gubernator successit. Qui no[...]
lingonensium genere exortus. pa[...]sto
ris sui instituta secutus in omnibus fama
et uirtutibus ubique locorum notissimus.
migrauit ad dominum. in eodem loco [...]
pore tumulatus. Successit autem
ei in regimine sanctus waldebertus.
uir in uita sua gloriosissimus. et licet
fuerit posterior ordine. non tamen infe
rior extitit meritorum qualitate. Qui
etiam annos adolescentię tradit in
armis primum excellentissime flo
ruisse. Nam cum esset inclita prosapia
clarissimus. in pago qui uulgo ponti
uus dicitur. honoribus et rerum [...]tu
tate iuxta natales suos ditissimus.
sub rebus tamen seculi regni non immemor e
terni. sectabatur sedulus opera misericordię.
agens quę dei non quę hominis sunt. algen
tes scilicet studens uestire. inopes ale
re. inbecillibus solamina prestare. dis
cordes ad pacem reuocare. Sic miles
optimus inter fasces constitutus. secula
uersabat cogitatione. quod postea deuotus
meruit adimplere. Porro sub illo bo
norum exercicio. hoc inicium signorum
eius referunt extitisse. Intra fines
francię. in pago meldensi. uicus est
famosi nominis prisco nomine nant uo
catus. qui sibi hereditario iure com
petebat a progenitoribus suis. et ortu
eius atque pluribus incrementis usque in
presens admodum habetur insignis. Ad
laudem quoque nominis eius fons illic ex
ortus memorabilis. aquę profusa tur
ba popularis. letiora se arbitratur ad
sua referre. ob memoriam beati uiri
lucra incolomitatis. In hoc itaque ut
diximus uico sui iuris. ager latissimus
fuerat et fecundus. Quem agrum
anseres agrestes quas a candore uel
sonitu uocis more rustico gantes
uocitant. agmine collecto. frequenti
irruptione ab ipso iactu seminis et
sationis incremento uastabant. Mi

BIBL:PUBL: BASILEENSIS

III, 43.

License: public_domain – Basel, Universitätsbibliothek, N I 3:43, Ruler on page – Fulda Legendary
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-kmxx/9848/71713)